

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epitome dialectica Joh. Conradi Dannhaweri

Dannhauer, Johann Conrad

Argentorati, 1663

Cap. V. De Divisione Enunciati in Simplex & Compositum

urn:nbn:de:bsz:31-102378

non esse doctum. 2. *contradictionem*. Duz enim contrariæ simul falsæ esse possunt, de quâ re paulò inferius.

β. *Due negationes*. Nam tres negationes etiam apud Latinos negant, idque idè quia cum duz priores se mutuo destruant, tertia superveniens illæsa manet. In græcâ linguâ quemadmodum & germanicâ duz negationes fortiter negant. *οὐ λόγου μή ἐ μή παρελθόντι*. Luc. c. 21. *Der gleichen thun Fan keiner nicht. in eundem terminum cadentes*. Aliàs hæc negativa est; Quicquid non habet pennas, non potest volare.

γ. Non sequitur. Quadam peccata in altero seculo non remittuntur. Ergò quazdam remittentur in altero.

δ. vide syll. 1. can. 4.

CAP. V.

De divisione Enunciati in simplex & compositum, simplicis in absolutum & modale.

Quæ est altera enunciati divisio essentialis?

Alterâ divisio est enunciati in a simplex, & b compositum. simplex est, cuius copula verbum est, ut, canis est animal. dicitur aliàs categoricum, & de inesse. compositum, cuius copula est coniunctio, hinc etiam coniuncta seu coniunctiva dicitur, ut, si canis est animal, vivit: Item canis aut est animal, aut non est animal. Rursus, Christus & Rex est & Sacerdos.

α. Τέτων ἡ λόγων (ait Arist.) ὁ μὲν ἐστὶν ἀπὸ τῆς ἀποφάνσεως, ὁ δὲ ἀπὸ τῆς ὑποκειμένης. Dignoscitur simplex à compositâ per copulam, quæ ibi verbum EST, hic coniunctio SI, AVT, ET.

β. *Compositum*. Nota aliud esse compositum aliud multiplex. Enunciatum discretivum, (illa Ramzorum manifesta) multiplex potius est quàm uno aliquo vinculo compositum, *Dices*, disjunctiva propositio quomodo composita est, si disjungit? *Resp.* ad eam modum illa composita est, quò parti-

particulæ hæc disjunctivæ AVT, VEL, conjunctiones appellan-
 tur. totum propositionis disjunctivæ compositum est;
 quia de veritate & falsitate eius ex toto, non ex partibus facti
 judicium solet: licet membra se invicem dirimant.

*Quomodo simplex enunciatum sub-
 dividitur?*

α. In absolutum quod aliquid inesse, vel non
 inesse sine modo significat, ut, sol illuminat. Et β
 modale: quod aliquid inesse vel non inesse sub
 modo significat, ut necesse est cygnum esse album.
 solus homo ratiocinatur. Et hoc iterum in mo-
 dale primarium, constans ex his quatuor modis
 γ formalibus, δ necesse, ε contingit, ζ pos-
 sibile η impossibile. e. g. necesse est omne gra-
 ve descendere. Contingit animal dormire. Et
 modale secundarium constans voce aliquâ δ ex-
 clusivâ, qualis est, solus, tantum, unicus, e. g. solus
 Christus est intercessor, ι exceptiva, veluti præ-
 ter, præterquam, excipe, extra, nisi. v. g. omne
 corpus præter mixtum, simplex est. κ limitativâ,
 cujusmodi est, quatenus, qua, in quantum. v. gr.
 Homo, qua animal, sentit. λ comparativâ, ut
 magis, minus, item comparativi. v. g. Christus
 prior est Abrahamo.

α. Dicitur aliâs propositio de inesse, ut canis latrat.

β. Modale compositum ex dicto & modo. e. g. Necesse
 est, Ignem esse calidum. Ignem esse calidum, appellatur à
 logicis dictum; in necesse modus est: Estque modale enun-
 ciatum iterum duplex vel compositum, cum modus vel præ-
 vel postponitur dicto: vel divisum, cum modus interponi-
 tur; illius exemplum est, necesse est ignem esse calidum: huius,
 ignis necessarium est calidus.

γ. formalibus. Equidem variis modis propositio aliqua
 affici potest. e. g. Socrates omnino est homo. Icarum volasse
 fabu-

fabulosum est: Iohannes studet diligenter. Sed hi modi à logicis materiales appellantur. ad modum illi formalem tria requirunt. 1. ut determinet non extrema tantum propositionis, sed ipsam propositionem: hinc modalis non est ista, Quicumque necessariò risibilis est, est homo. Vbi ñ necessariò modificat subiectum, non propositionem totam. 2. ut sit extra dictum, non vel subiectum, vel prædicatum ipsum. hanc igitur negant esse modalem, parentes colere æquum est. 3. ut per modum ampliatur propositio. Ampliare est efficere, ut propositio addito modo plus significet quàm sine eo. hinc verum & falsum non sunt modi formales, quia cum dico hominem esse animal est verum, non plus dico quàm homo est animal.

8. *necesse*, id est, quod sic est, ut non possit non esse, ut necesse est ignem esse calidum.

9. *contingit* quod sic est ut possit non esse, ut Petrum ambulare contingit. aliàs ab Arist. l. 1. prior. an. c. 3. *Ἐκδηχῶν τὸ μὴ ἀναγκαῖον ἢ τὸ δυνατὸν.*

10. *possibile* quod sic non est, ut possit esse, ut possibile est me stare cum sedeo.

11. *impossibile* quod sic non est ut nec esse quidem possit. Vt impossibile est ignem esse frigidum. Advertendum hic ñ necesse & contingit esse modos affirmativos; ñ possibile & impossibile negativos; neque enim propriè dixeris, contingit cras pluere, id possibile est: neque, possibile est Martem scire in Germaniâ, id contingens est.

12. *secundariò modales* dicuntur aliàs etiam propositiones ob eam, quam involunt, obscuritatem, exponibiles.

1. *Exclusiva*. Et hæc vel est exclusiva subiecti, ut solus homo est risibilis, vel prædicati, ut sensus externi sunt tantum quinque.

2. *Exceptiva*. Hæc iterum vel est exceptiva subiecti vel prædicati.

3. *Limitativa*, est vel *reduplicativa* vel *specificativa*. *Reduplicativa* oratio est, in quâ limitatio (quatenus) in se continet causam prædicati. e. g. ignis (quatenus) calidus urit. id est, calor est causa uestionis. homo quatenus habet animam est sensitivus, id est; anima est causa formalis, &c. Quo etiam referri potest propositio in quâ ñ quatenus notat condi-

ton
mo
Speci
tem
veni
parte
lam
artic
pe
com
para
utric
quâ
ineft
meli

β
que
Solu
aliu
mor
etia
nis
entia

E
Om
id e
cor
EX
unan
de pa
tâm,
signi
excep
tia s

conditionem sine quâ non, ut agens quatenus tangit
 movet, id est, contactus est conditio movendi sine quâ non.
Specificatio oratio est, in quâ limitatio notat certam par-
 tem, speciem, rationem, secundam quam prædicatum con-
 venit subiecto aliâs amplè patenti. e.g. homo (qui multas
 partes habet) quatenus habet nasum (id est secundum il-
 lam solam sui partem) est simus. confer Ide. disput. cap. 2.
 artic. 3. §. 32.

µ. Comparatio. ut Goliath est major Davide. Nota
 comparationem aliam esse propriam, in quâ tertium com-
 parationis utriusque inest, ut aer est humidior aquâ, humiditas
 utriusque tam aeri quàm aquæ inest: aliam impropriam, in
 quâ tertium comparationis vel neutri vel alterutri tantum
 inest; neutri, ut ebrietas est melior scortatione: alterutri, ut
 melius est nubere quàm uri.

*Propositiones hæc exponibiles quomodo
 exponi debent?*

β Exclusiva commodè exponitur eo modo,
 quem naturale iudicium sponte suâ dicitur. e.g.
*Solus homo est rationalis, id est, homo est rationalis &
 aliud ab homine non est rationale. Non solus homo est
 mortalis, id est, homo est mortalis, sed aliud ab homine
 etiam est mortale. Tantum homo non stetit in creatio-
 nis sua integritate, id est, homo non stetit &c. alia autem
 entia & animalia steterunt &c.*

Exceptiva exponitur per **QUOD NON**, ut
 Omnis substantia, præter spiritum, est corporea,
 id est, Omnis substantia, quæ non est spiritus, est
 corporea.

Exceptiva aliâs I. Universalis affirmans exponitur. 1. per
 unam negativam indefinitam, in quâ prædicatum negatur
 de parte exceptâ, & 2. per alteram affirmativam indefini-
 tam, quæ non differt à propositione expositâ, nisi quod loco
 signi exceptivi ponatur nota alienæ. e.g. Omnia sunt à Deo
 excepto peccato, id est, peccatum non est à Deo, alia verò en-
 tia sunt à Deo. Confer Ide. disp. loc. cit. §. 31.

F 2

Il. Vni-

II. Universalis negata affirmati signi exceptivi, exponitur solâ mutatione notæ exceptivæ **NISI**, in relativam negationem, **QVOD NON**, e. g. *nullum est unicornu nisi sit animal, id est, Nullum Unicornu, quod non est animal, est.*

III. Universalis affirmata, negati signi exceptivi, exponitur per unam universalem agentem, mutatâ exceptionis notâ in conjunctionem copulativam; Etiam, e. g. *Omne animal ne homine quidem excepto est mortale, id est, Omne animal, etiam homo est mortalis.*

IV. Universalis negata, negati etiam signi exponitur per unam universalem negantem, mutatâ exceptionis notâ in conjunctionem copulativam **NEC** e. g. *nullum animal, ne homine quidem excepto est flos, id est, nullum animal, nec homo, est flos.*

Limitativa reduplicativa explicatur per causalem quia e. g. *ignis urit quatenus calidus, id est, quia calidus.* Specificativa per relativa qui, quæ, quod e. g. *homo quatenus capillos habet est crispus, id est, qui capillos habet.*

Comparativæ propriæ expositio facilis est. improprie expositio fit per oppositum cum adverbio minus, ut *ebrietas est melior scortatione, id est, minus mala.*

æ. Et si homines ingeniosi citius videant quis harum exponibilium sensus sit, quàm ut præcepta capiant: sicut facilius homines pedem priorem & poplitum cardines levando, ambulant, quàm se ambulare animadvertunt, verba sunt August. l. 2. de doctrin. Chr. c. 7. non tamen hæc negligenda doctrinæ est, cum ut ingeniosi certius judicent, tum ut tardi ingenio juventur. Non ideo Athletica ars repudianda, quia plures naturali robore freti vincunt. Quibus verò hæc hujusmodi mortualia præficarum videntur: illi se ex hisce expediant, & vincant.

Non solus homo est canis.

Quæro, vera hæc sit an falsa? si vera, sequitur hominem esse

esse canem, etsi non solum: si falsa: vera igitur erit ejus contradictoria, solus homo est canis.

Nemo sit Poeta excellens, nisi sit *εὐφύλακτος*. E. si quis bonâ phantasiâ polleat illicò sit excellens poeta? multò adhuc plura requiruntur.

Nulla bestia est magis rationalis quàm elephas, *τῆς Κυβόδος* *καὶ τῆς Σάδων*. l. 10. hist. an. c. 46.

Quæro vera hæc an falsa? si vera. E. Elephas est rationalis. Si falsa. E. contradictoria vera. Aliquam bestiam magis esse rationalem. Utrobique bestiam aliquam rationalem conficies.

β. De exclusivarum expositione finxit olim scholæ voces aliquas technologicas, ut sunt *pater, nise, tenax, storax, canos, pilos, fecit, nobis*. Omnino canos pilos fecit vobis hæc speculatio, vide Dn. Scheibl. tr. de prop. c. 7. n. 42. addo si lubet Ide. disp. f. 1. c. 2. art. 3. §. 30.

γ. De hoc exponendi genere, cum negatur signum exclusivum, quaesitum est à logicis? An exclusiva negato signo semper sit virtute sive per expositionem affirmans? Respondimus post Corn. Mart. anal. c. 3. in Ide. disp. l. cit. §. 30. Iuxta naturale iudicium videri eam semper affirmare. ex. gr. non solus homo est animal, id est, homo est animal & aliud ab homine etiam est animal. Aliquando tamen sic proponi, ut negatio præter solitudinem (*Linacri verbum*) etiam nexum prædicati cum subjecto negando destruat, ut non solus homo est canis, id est, homo non est canis: Aliud ab homine est canis. vide hæc in schematismo. Ide. disp. sect. 2. c. 2. art. 1. p. 201.

Produc canones de hæc doctrinâ?

I. De propositione simplici: Simplex & pura enunciatio reliquarum norma est.

Sicut enim syllogismi secundæ figuræ ad primam reducuntur, non quod male concludant, sed quod obscure: Ita modales & compositæ propositiones aliarum, ad simplices & categoricas reducendæ sunt, non quod ad argumentationem sint ineptæ, sed quod vitia illarum propositio simplex evidentius prodar. Exercendi hîc fuerint Tyrones in mutatione propositionum compositarum in simplices & categoricas.

F. 3.

II. De

II. De modalibus primariis. *a* Modalis composita mutanda semper est in divisam. contingit Octavius vincere pugna actiaca, in hanc, Octavius vincit contingenter pugna actiaca. Deum esse bonum necesse est; Deus necessario est bonus. 2. β propositio modalis ut specie non differt ab absolutâ sive purâ: ita γ æquale iudicium logicum cum hâc ipsâ subit. δ 3. modus tanquam pars prædicati in argumentatione aliquâ semper apponendus est prædicato.

a. Fundamenta huius canonis. à Nihusii Apostatæ instantiis vindicata, vide Idæ disp. f. 2. c. 3. art. 13. §. 82 & 83.

β . Id verò demonstratur. ib. §. 84. γ . Hinc sequitur ex quibus signis propositio aliqua, ut pura agnoscitur, affirmativa Universalis &c. ex iis etiam agnosci, ut modalem. Et quò pacto contradicitur absolutæ, eo quoque modalis contradici: nec diversam esse conversionis rationem.

δ . Rationes huius canonis extant. ib. §. 84.

III. De modalibus secundariis. 1. *a* Propositio exponibilis prius exponenda est inque suo nativo sensu constituenda, ante quam de eâ iudicium feras logicum, β 2. non omnis propositio est exclusiva, vel exceptiva, quæ habet signum exclusivum vel exceptivum. γ 3. exclusio aliquando finitè excludit & in certo tantum genere. δ 4. Exclusiva sola opposita excludit. Solus Deus est bonus, ab excellentia bonitatis, creaturas, non filium, non spiritum excludit. Solum animal sentit, non animam, non corpus, non equum, sed plantam, & alia sensus expertia. 5. Exceptum debet contineri sub subjecto propositionis exceptivæ, omne corpus, præter cælum, (non vero præter spiritum) est corruptibile. 6. ab affirmatione rei excepta, ad affir-

affirmationem subiecti, unde facta est exceptio, non valet consequentia. 7. à quatenus reduplicativo ad de per se & de omni valet consequentia. 8. à minus non esse, ad esse tale non V. C.

a. Parata sophistæ via est, consilio hoc neglecto.

β. E.g. Tò solus non semper exclusivè ponitur, sed sæpe est idem quod seorsim, sine socio, ut Deus solus operatur, id est, sine socio. Ita τὸ Donec aliter accipitur in hac: Donec eris felix multos numerabis amicos. Aliter in istâ, Ioseph non cognovit Mariam, donec peperisset filium primogenitum. Aliter in illâ, non auferetur sceptrum donec veniat Schilo. Tò nisi non semper exceptivè usurpatur, sed sæpe etiam adversativè. Ex electis nullus perit, nisi filius perditionis. Ioh. 17, 12.

γ. Infinité excludit in prædicatis incommunicabilibus, ut solus Deus est adorandus, id est, nullum omninò ens extra Deum est adorandum. Solus maritus amare debet (amore conjugali) Vxorem. Ergò nullum aliud ens (amore conjugali) Vxorem amare debet. Finitè in prædicatis communicabilibus. e. g. Catullus est tantum poeta: non nego Catullum hominem esse, sed in genere artium, ei sic vendico poeticam, ut alias artes excludam.

δ. Non igitur sequitur. Solâ fide justificamur. Ergo non justificamur gratiâ Dei, hæc enim in actu justificationis non sunt opposita, sed conjuncta.

ε. E. non sequitur.

Si nullus electus perit nisi filius perditionis. Ioh. 17, 12. Ergò aliquis electus perit, quia filius perditionis non censetur in numero electorum.

ζ. Sunt igitur hi funiculi ex arenâ.

Nullum unicornu est nisi sit animal. E. si sit animal est unicornu.

Nemo venit ad filium nisi pater traxerit eum. E. si pater traxerit (vocarit) veniet.

Filius non potest facere à semetipso, nisi quod viderit Patrem facientem. Ergo si viderit patrem facientem, id potest à semetipso.

Nemo sit poeta excellens nisi sit ἰσχυροτατος. E. si sit ἰσχυροτατος, illicò sit poerarum Roscius.

7. Ratio est quia tertius gradus propositionis necessaria includit secundum, & hic primum. non contra. de quâ re in doctrinâ demonstrationis.

8. Male igitur conclusit eruditissimus Comes Picus Mirandulanus cum è nongentis illis quæstionibus Romæ defendendis, in thesi nonâ posuit.

Nulla est scientia humana quæ nos magis certificet de divinitate Christi quàm magia & cabala.

Postea in suâ apologiâ p. m. 167. scripsit, suos obtrectatores, velint nolintve teneri hanc propositionem pro verâ reputare.

Aliquam humanam scientiam certificare divinitatem Christi.

Si enim illa prior (Nulla scientia &c.) vera est, habebit Picus quod vult, nimirum aliquam scientiam certificare. Si falsa. E. vera erit contradictoria.

Aliquam scientiam humanam magis certificare & consequenter certificare.

Cæterum non vidit. 1. comparisonem esse impropiam, exponendam per oppositum cum adverbio minus, adeoque sic dicendum. Nulla scientia humana minus debet nos relinquit &c.

2. non sequi Argumentum à minus non, ad esse, à minus non dubium relinquere ad certificare.

Eodem modo non sequitur aer est minus non levis, vel minus gravis, quàm ignis. E. est gravis. Elephas est minus non rationalis. E. est rationalis.

Quæ est altera subdivisio Enunciati simplicis?

Enunciatum est vel finitum vel infinitum, hoc constat ex termino vel terminis infinitis, idque vel ratione subjecti, ut non pisces sunt in fluvio: vel ratione prædicati, ut piscis est non loquens: vel ratione utriusque, ut omnis non homo est non rationalis.

Inf:

Infinitarum huiusmodi propositionum usus est in omnibus scientiis : in Theologia אלהינו בלא יושבעו iura-
Verunt in *non Deo*. Jerem. 5, 7. voca nomen eius *non populus*,
Osc. 1. In Iure. si quis à *non Domino* quem Dominum esse
credit, bonâ fide fundum emere velit. In Philosophia, an
potest quispiam in abundantia bonorum esse *non bonus*?
Cicer.

Quid est enunciatum compositum?

Quod ex duobus simplicibus enunciatis per
conjunctionem componitur, quorum prius ap-
pellatur antecedens, posterius consequens. ut si
Deus est, non est fortuna. Antecedens, Deus est;
consequens, non est fortuna.

*Compositum Enunciatum quomodo
subdividitur?*

In hypotheticum, disjunctivum & copula-
tivum.

Quid est propositio hypothetica?

Hypothetica propositio est composita per con-
junctiones si, nisi: ut si asinus volat, habet pennas.
Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non in-
troibit in regnum cœlorum.

Quid disjunctiva?

Disjunctiva propositio est composita per par-
ticulas disjunctivas, aut, vel, sive, seu: ut, aut dies
est aut nox est.

Quid copulativa?

Composita per particulas copulativas, Et, atque
e, g. Salomon & Rex est & sapiens, Petrus non &
edit & bibit.

Copulatas negantes quidam confundunt cum disjuncti-
vis, inter quas tamen plurimum interest. Nam hæc vera est,
Petrus non edit & bibit; hæc falsa. Petrus aut edit aut bibit.

Nota, partes compositæ enunciationis duas esse anteceden-
dens & consequens. e. g. si asinus volat, habet pennas. asinus
volat est antecedens; habet pennas est consequens.

*Velim de hoc quoque propositionum genere,
canonibus ut enumeres?*

I. Conditionalis nihil ponit in esse, sc. respectu
subjecti, in ordine ad conditionem, & conse-
quens. quia cum illa non statim insit subiecto, nec
consequens inerit, quia & hoc sine conditione
subiecto non insit. e. g. si Moses & Samuel starent
coram me, non ex audirem. E. Moses & Samuel
stant coram Deo, &c. vid. Ide. disp. l. 2. c. 3. art. 8. §. 73.

II. Conditiio impossibilis æquipollet universali
neganti. e. g. si cælum digito tetigeris, desponlabo
tibi filiam. i. e. nunquam desponlabo.

III. Veritas in hypothetica propositione pen-
det non ex partium, sed totius compositionis veri-
tate. ut, si asinus volat habet pennas, vera est,
etsi tam consequens, quam antecedens extra
compositionem falsum sit.

IV. In Disiunctiva ex unius tantum partis veri-
tate veritas pendet. ut, homo aut est rationalis,
aut irrationalis. nam si utraque vera sit, vel falsa
utraque, ipsa propositio falsa efficitur.

V. *a* Copulata affirmans ex veritate omnium
partium vera est. Christus & Deus & homo est.

VI. *β* Disiunctiva non ditimit nisi immediatè
opposita, e. g. animal aut sanum est, aut ægrum.

Dices inveniri exempla disiunctionum verarum ex mem-
bro utroque vero. e. g. Vbi duo vel tres congregati sunt in
nomine meo, ego ero in medio eorum. Vtrumque hic po-
nas licet, quia non sequitur, si præsens est duobus. E. non
tribus. Si tribus, Ergò non duobus.

Resp.

Resp. Tò ñ vel, esse disjunctivum ex hypothesi. ut rectè sequatur, Christus est præsens duobus, supposito quod plures non adsint, Ergò non tribus. Item Christus est præsens tribus, supposito quod non congregati duo soli, Ergò non duobus solis.

α. Hæc namque falsa, Salomon & Rex est & sapiens, & subditus & callidus. nam si Rex non subditus: si sapiens non callidus.

β. Nisi i. opposita. Ergò hæc disjunctiva bonæ notæ non est, Petrus aut homo est aut animal, hæc enim sunt subordinata. Hinc conficitur in Iephthæo. Iud. 11. τὸ Vay copulativè non disjunctivè accipiendum, quia aliàs subordinata à se invicem disjungerentur. Esse Domino & offerri victimam subordinata sunt. 2. immediatè opposita, Cavendum igitur τὸ ἐλαττός τὸ διαίρεσις.

CAP. V.

De divisione Enuntiati ratione
quantitatis.Quomodo dividitur propositio ratione
quantitatis?

In α. Indefinitam, quæ signo quantitatis caret, ut Athyops est niger, & definitam, quæ signum quantitatis præfixum habet, ut Quidam homo est niger. Indefinita vel est γ. distributiva, ut, frutex est planta, i. e. frutex, & omnis frutex, vel δ. non distributiva, ut, qualitas est genus, at non omnis qualitas. definita vel ε. Universalis. quæ gaudet signo Universalis, ut omnis homo est mortalis, nullus homo sine crimine vivit. vel ζ. particularis, quæ signo particulari constat, ut Quidam homo Rex est.

α. Indefinita, ἐπίθετος. Aristot. lib. i. prior. anal. cap. i. ἢ ἰσοῦ ἢ ἕως ἡμέρας.

γ. Distributiva, cujus subjectum supponitur distributi, v. c. us

Resp.